



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 3. Et ultimus. De dissolutione Matrimonii quoad cohabitationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

- ¶. Sunt hi subsequentes : 1. Si conjux infidelis renuat habitare cum conjuge converso : 2. Si nolit cohabitare , nisi cum contumelia Creatoris V. G. impediendo cultum illius , nomen despiciendo , conjugem conversum , aut domesticos à fide avertendo &c.
9. An Matrimonium hujusmodi solvatur eo ipso , quo infidelis renuit cohabitare conjugi converso ?
- ¶. Neg. Sed opus est ut conjux conversus transseat ad secundas nuptias , aliás non debet censeri solutum , sed tantum solubile.
- Nota , quòd priùsquam conjux fidelis transseat ad secundas nuptias , debet admonere infidem , de cuius partinacia non constat.
10. An infidelitas superveniens matrimonio fideliūm reddat illud solubile , quoad vinculum ?
- ¶. Neg. Ita Innoc III. Cap. *Quanto de divortiis.*  
Et ratio est , quia matrimonium fideliūm redditur prorsus ratum , & firmum per baptismum , ratione cuius significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.

### §. 3. ET ULTIMUS.

#### *De dissolutione Matrimonii quoad cohabitationem.*

**Q**UÒD conjuges debeant simul cohabitare , est clarum ex natura ipsius conjugii , uti & ex Matt. 19. *Relinquet homo patrem , & matrem , & adhæredit uxori sue.*  
Petes assignari aliquos casus , in quibus Matrimonium solvitur quoad cohabitationem ?

¶. I.

400 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

- R<sup>c</sup>. 1. Si alter conjugum adulteretur, potest dimitti in perpetuum, ita tamen ut pars innocens jus habeat nocentem revocandi, & debitum ab illo exigendi.
2. Si maritus labatur in hæresim, aut infidelitatem, potest uxor se ab ipso separare, & si per sententiam ab illo fuerit separata, non teneatur ad ipsum redire, nisi per sententiam judicis, licet ipse convertatur. Ita Cap. *Mulier de conversione conjugatorum*.
3. Si dos à parentibus promissa non præstetur, verisimile est, quod maritus non teneatur eam alere, quamvis ad redditionem debiti obligetur, sed hoc spinis non caret.
4. Si pars una vitæ alterius insidietur.
5. Si maritus uxorem suam graviter lädere, & vulnerare soleat.
6. Si odio implacabili se invicem persequantur. Denique, si sine gravi admodum damno, præsertim spirituali, cohabitare nequeant, ut si alter alteri sit occasio proxima peccati mortalis.

Observandum : 1. Quod, causis hujusmodi separationis cessantibus, ad pristinæ cohabitationis societatem reverti omnino teneantur, nisi prudenter timeretur, ne periculum foret sublatum.

2. Consulendum esse, ne ulla ex causa regulariter loquendo quoad cohabitationem se separent, nisi interveniente ordinarii sententiâ, vel per Ecclesiæ judicium, cuius est rationes æquâ lance ponderare; cui irrefragabiliter hæc omnia dicta, & alibi dicenda filialiter subjicio.

INDEX

